

## 336

AND. CRATANDER LECTORI S.

EN TIBI CANDIDE LECTOR, ARISTOTELIS ET THEOPHRASTI HISTORIAS, QVIBVS CVNCTA FERÈ quæ Deus Opt. Max. homini cōtemplanda & usurpanda exhibuit, adamus-sim complectuntur : creaturas inquam omnes, & sensu præ-ditas, quæ animalia dicuntur, & sensus expertes, quas appellant plantas. Vbi hercle ne γρὺ quidem in speciem tam humile, tam abiectum, tamqz pusillum, in quo summus ille creator non sit summè suspiciendus, & cuius non sit usus amplissimus. Qua profectò re uix aliud quicquam existit, quod gloriam & amo-rem Dei, omnium parentis, in cordibus hominum magis excitet & inflammet. Quod autē huiusmodi rerum cognitio, meditatioqz, cum ad omne Philosophiæ genus, tum præcipuè ad Medicinam, tum ad uniuersam deniqz mortalium uitam utilissima sit, ac maximè necessaria, nullus est adeò naris obesæ, & a cōmuni sensu tam alienus, qui nō intelligat. Quum uerò ARISTOTELES & THEOPHRASTVS mihi in primis ad hoc facti uidentur, per quos δοτήρ ἔχω uoluit eiusmodi mysteria benignissimè mortalibus effundere : ne tibi ea quoqz parte deesse, optime lector, placuit eorū quæ hic pertinent opera, sub incudē reuocata, multò quām antehac diligentius emendatiusqz, publicis potius studijs, quam rei priuatæ consulens, excudere. Proinde abs te uehementer contendō, ut meo in transcribendis optimis authoribus studio, tuus etiam in comparandis syncerus animus respondeat. Vale & Librorum catalogum uersa pagina require. BASILEAE. 1534.

(*Au verso du feuillet 1 :*) HOC OPERE CONTINENTVR. ARISTOTELIS *De historia animalium*, Lib. IX. *De partibus animalium*, & earum causis, Lib. IIII. *De generatione animalium*, Lib. V. *Theodoro Gaza interprete*. *De communi animalium gressu*, Lib. unus. *De communi animalium motu*, Lib. unus. *Petro Alcyonio interprete*. THEOPHRASTI *De historia plantarum*, Lib. IX. Et Decimi principium duntaxat. *De causis plantarum*, Lib. VI. *Theodoro Gaza interprete*. AD HAEC, *Vocabula latina & græca*, ex Aristotelis libris de animalibus,

